

The Consolation of Philosophy

Filmed in 2007 by The LATIN QUARTER
Pronunciation: 6th century Latin (Italy)

OUTSIDE PRISON

GAOLER ONE Iō , ille moritūrus cāseum sūmat.

GAOLER TWO Custōs erat pater, suusque pater, eiusque etiam pater. Sed mē in lūdum pater mīsīt ut librārius vel lūdī magister fierem. Latīnē quidem tam bene scrībere, tam bene legere, tam bene loquī didicī ut mē putārēs Cicerōnem.

GAOLER ONE Ita vērō?

GAOLER TWO Sed dīc mihi quanta librīs sit praedae spēs? Fortūnae ergō mē commīsī, et nunc sum custōs.

INSIDE PRISON

FORTUNA Ut valēs?

BOETHIUS Ut valeo? Scīlicet bene sē habet.

FORTUNA Tē miserum. Quid flēs? Meministī-ne quanta dōna accēperis mea? Glōriam.

BOETHIUS Ita est.

FORTUNA Opēs.

BOETHIUS Ita est.

FORTUNA Potestātem.

BOETHIUS Etiam potestātem.

FORTUNA Etiam honōrēs.

BOETHIUS Sīc.

FORTUNA Multa meī sunt dōna Fortūnae.

BOETHIUS Quam ob rem nunc sunt omnia commūtanda?

FORTUNA Quod ego sum Fortūna.

OUTSIDE PRISON

GAOLER TWO Mēhercle! Adest alia virgō. Ō amīce, quae virgō tēcum adest? Illa futuenda!

INSIDE PRISON

BOETHIUS Quid mē fiet?

FORTUNA Hodiē?
BOETHIUS Hodiē.
FORTUNA Quid tibi faciam hodiē ut moriāris.
BOETHIUS Hodiē moriar? O Fortūna, ōrō, dīc quam ob rem mihi calamitātem īnferās?
FORTUNA Quid mē illud interrogās quod ex imperātōre petendum est?
BOETHIUS (*To GAOLERS*) Quibus causīs supplicium feram?

OUTSIDE PRISON

BOETHIUS Quō crīmine hīc sum vinctus?
GAOLER TWO Nunc illum īnsānum interficiāmus.
GAOLER ONE Etiamnunc edo.

INSIDE PRISON

FORTUNA Rēbus secundīs mē deam colēbās. Nōnne, ō homō ingrātissime, vītā dēgistī beātā?

PHILOSOPHY appears.

PHILOSOPHY Vītā nōn cognōscerēs beātā etiamsī tū fēcissēs.
FORTUNA Tē salūtō, soror.
PHILOSOPHY Cūr nunc ades, ō soror, spoliātrix animōrum?
FORTUNA Adsum ut moritūrum cūrem.
PHILOSOPHY Tū eum ut cūrēs! Quid tibi vīs?
FORTUNA Et tū cūr ipsa ades, o soror, mūsa sapientissima? Ut moritūrum obscūrōs doceās dialogōs tuōs?
PHILOSOPHY Iam nunc abī.
FORTUNA Petis ut miserum suprēmō diē relinquam?
PHILOSOPHY Nōn es illī moritūrō adiūtrīx.
FORTUNA Probātur. Sed cognōscās, ō homō, nunc tē vērō esse dēsertum ā Fortūnā. (*She disappears*)
PHILOSOPHY Quid est igitur, ō homō, quod tē in maestitiā lūctumque dēiēcit?
BOETHIUS Imperātor mihi iniūriam innocentī facit.
PHILOSOPHY Nōnne cōnsēsimus esse illōs tibi iniūriam facientēs īnfēliciōrēs quam ferentem?
BOETHIUS Sīc cōnsēsimus.
PHILOSOPHY Quid ergō flēs?
BOETHIUS Hodiē moriar.
PHILOSOPHY Ō homō fēlix, iamprīdem cognōvimus quam suprēmus ille diēs nōn exstinctiōnem, sed commūtātiōnem locī afferat?
FORTUNA (*Reappearing*) Oooh, ecce ego revēnī. O miser, licet tibi flēre.
PHILOSOPHY Quam ob rem illam nunc dominā fēcistī tuam? Nōnne anima tua dēsīderat ē corpore effugere?
BOETHIUS Rēctē dīcis, nōn illa, sed tū, o Philosophia.
FORTUNA Tē miserum nōn relinquam.

OUTSIDE PRISON

GAOLER ONE Eāmus.

GAOLER TWO Eho, Boethī, tempus adest ut moriāris.

INSIDE PRISON

PHILOSOPHY Putās-ne, ō homō, Fortūnam tē audīre aut cūrāre flētūs?
Age.

BOETHIUS Antēā malīs urgēbar, nunc morte.

PHILOSOPHY Dēsine iam gemitūs iamque effundere.

FORTUNA Tē miserrimum!

PHILOSOPHY Quantae nōbīs erant sermōnēs dē vērītate, dē probītate, dē corpore animāque; quam ob rem moritūrus adsīs?

BOETHIUS Ignōsce, ō Philosophia. Nam tuī docendī nōn sum oblītus.

PHILOSOPHY Itaque benē sē habet. Nam vērē fēlix es.

FORTUNA Iō, ō vērē fēlix, ō moritūre, adsunt carnificēs.

PHILOSOPHY Nōnne cognōvimus quam sit nūlla fēlicitās vēra nisi in animā? Boethī?

BOETHIUS Sīc cognōvimus.

PHILOSOPHY Quam anima hominis probī gaudeat cum fuerit solūta corpore?

BOETHIUS Rēctē dīcis. (*To GAOLER*) Cur innocentem trucīdās?

GAOLER ONE Iussū imperātōris.

FORTUNA Clēmētiam ōrā, imperātōrem veniam ōrā ut vīvās!

PHILOSOPHY Nōlī audīre, sīs fortis.

BOETHIUS Difficile est.

GAOLER TWO Adest-ne nunc amīca tua? Ubi est illa? Illīc?

PHILOSOPHY Probus quīdam afficī malō nōn potest quod perit malum...

BOETHIUS ...et bonum permanet.

PHILOSOPHY Ita vērō. Nunc mē sequere.

BOETHIUS Sequor.

GAOLER TWO Sequor, sequor. Adest-ne ut tē morientem spectet? Prō lūdīs pecūniam pendere dēbet.

OUTSIDE PRISON DOOR

GAOLER ONE Tandem ille miser dēcessit ē vītā. Quid eius scrīptīs faciāmus?

GAOLER TWO Quis garrulī scrīpta dēsīderat?

END